



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

1 Quid & quotuplex Justitia.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

LIB. III. DE CASTITATE. 149

Sic Iosephus castus fuit, dum domini sui uxorem inviolatam dimisit. Sic Sara filia Ra- *Genes. cap. 39.*

guelis in oratione sua ad dominum habita su- *Tobi. cap. 3*

am castitatem ingenuè confessà fuit, inquit, Scis Iehova, esse me ab omni hominum fœditate puram, neq; meum parentumve meorum nomen in exitii mei terra contaminasse. Nunquam me cum ludentibus commiscui, neque levitati deditorum commercio vsa sum.

Sic & Penelope adeo incorruptæ castitatis fuisse scribitur, ut absente per viginti annos marito Ulyssè, nullis procorum blanditiis, nullis pollicitationibus ad violandam fidem, quam promiserat, induci potuerit. Quocirca ut Ovidius scribit:

*Penelope mansit, quam vis custode careret,
Inter tot multos intemerata procos.*

Et Propertius:

*Penelope poterat bis denos casta per annos
Vivere, tam multis femina digna viris.*

JOANNIS RODINGI ETHI-
CÆ LIBER QUARTUS
DE JUSTITIA.

CAP. I.

Quid & quotuplex iustitia.

Iustitia, est virtus suum cuique tri-
buens.

Justitia est primò pietas & charitas,
aut Reverentiã & Obedientiã.

II, Fides & Veritas, aut Æquitas &
Bonitas:

[quæ duę species virtutum híc specialiter acci-
piuntur.]

III, Benevolentia & Beneficentiã, aut
Liberalitas & Hospitalitas.

IIII, Misericordiã & Clementiã, aut
Gratiã.

CAP. II.

De Pietate.

Pietas, est justitia cùm Deo tum pro-
pinquis cultum tribuens.

*Genes. 4.**Genes. 5.**Genes. 7.*

Sic Abel pius fuit, unde etiam Dominus
sacrificium & munera ejus respexit. Item He-
noch, quem Deus transtulit ne videret mor-
tem. Item Noach, cui Dominus dicit, Ingre-
dere tu & omnis domus tua in arcam: te enim
coram me in hac generatione justum vidi.

Sic Josephus patrem suum Jacobum omni
honore affecit, dum eum ad Regem Pharao-
nem adduxit, & reverenter commendavit. Sic
rex Salomon erga matrem Bethsebam debi-
tum honorem exercuit.